

FRATRIS ADEODATI SENENSIS

PRO REFORMANDIS, INſtaurandis, reſtituendis & conſeruandis Cœnobijs Auguſtinenſibus Prouinciæ Bauariæ Oratio Viennæ habita die xxx. Octobris. ad Ferdinandum Romanorum, Vngarię Bohemię &c. Regē Glorioſiſsimum.



M, D, LV.









VVM TOTIVS AVgustinensis familiæ Magister, ac generalis Prior, Sacra Catholica, & Regia Maiestas, perpenderet, & videret Cœnobia sua in tuis fœlicissimis Regnis, & Prouincijs quondam pietate, Religione, Sanctitate omniq; virtutum, & doctrinarum genere florentissima. Nunc autem iniquorum hominum causa, in quibus refrixit charitas, & pręualuit Lutheranismi impietas, deformata esse, collapsa, imminuta, ac propemodum extincta, non potuit non ingenti mœrore affici, doloreq; non modico angi, & discruciari. Atq; pro eis reparandis, instaurandis reformandis, confirmandis, & conseruandis non vehementer curare, & solicitari. Ad hoc verò commodeconficiendum, nihil oportunius, certius, & securius illi in mentem venit, quàm si ad tuam Regiam Maiestatem & literas daret, simul atq; sui ordinis vnum ex Italiæ patribus, & Magistris ad eam mitteret. Quibus Augustinensem Remp. precibus, & modis omnibus tibi Regi inuictissimo commédaret. Tibi inquàm Regi secundum Cor Dei, atq; in Religione Christi constantissimo. Vt qui gloriosissimos Reges illos Dauidem, & filium eius Salomonem imitatus,

honor Dei, Religio, Templa, & quæ ad Deũ & Dei cultum attinent, semper primatum in oculis tuis habuerunt. Nec vllis vnquàm pepercisti consilijs, monitis, iussis, edictis publicis, Laboribus, sumptibus, difficultatibus te Rege fortissimo, ac Iustissimo dignis, modò fœda illa Lutherana lues prorsus depelleretur, atq; extruderetur, Regnum verò Dei & Iustitia eius, hoc est, Religio nostra Sancta, Catholica & Apostolica, qua nihil in terris est præclarius, nihil sanctius, nihil firmius solicite custodiretur, diligenter cõseruaretur, eiusq; sacrosancta Iura retineretur, suoq; in ordine, & loco starent, & essent, Ita etiam Augustinẽsis ordo in Ecclesia Dei non inutile, non super vacaneum, non infimum, sed vtile, necessarium, ac præcipuum membrum, per te, ò Rex Clementissime reuiuiscat, refloreat, atq; repolleat nimirum in sanctitate, & Iustitia coram Deo. Quod ipsum tota Augustinensis domus hodie mecum ante tuos Regiæ Maiestatis pedes prouoluta, præcibus, ac modis omnibus supplex petit, orat, obsecrat, & obtestatur. Meminerisq; precamur fœlicis memoriæ Cæsaris Caroli huius nominis quarti, sub quo Inclytum tuum Bohemiæ Regnum auro, argento, frugibus, concordia, viribus, potentia veraq; Religione

Catholica.

Canonica (quod caput est) floruit, atq; præpolluit, eo quod ad ordinem Alphabeti Dinus ille viginti quatuor extruxerit Ecclesias, atq; Monasteria. Tu igitur ò Rex omnium pientissime Diui Augustini in tuis potentissimis Regnis iam collapsas ædes, longe illis pauciores, tua pietate Regia refice, erige, repara, atq; instaura. Memineris etiam & tuorũ Romanorum, quorum tu merito, & Iure optimo Augustissimus es Rex. Apud quos teste plutarcho maius momentum in Religionis obseruantia fuit, quàm in vincendis hostibus. Nec ferendam esse Ciuitatem ullam putauerunt, quæ Religionem, & rem diuinam negligeret. Memineris etiam, atq; etiam laudabile illud, pium, strennuum, vere Regium ac per omnia Catholicum factum fœlicissimæ illius recordationis, nempe Cæsaris Maximiliani aui tui, Iustitia, pietate, bello, & armis clarissimi, Qui cum post obitum Mathiæ Regis, qui & ipse etiam totus Religioni deditus fuit, Iustum collegisset exercitum, & iam in Vngaria Albam, quam Regalem vocant, vi, atq; virtute occupasset, videretq; in suo milite verum fieri, quod poœta cecinit, nimirum nulla fides, pietasq; viris, qui Castra sequuntur. Hiabant enim thesaurum, atq; alias opes templi, & præsertim illas, vbi Regum

 vngariæ

vngariæ ſepulchra ſunt, non modo violare, ſed & rapere. Quod cum imminere vidiſſet glorioſiſsimus Imperator mox, atq; repente proprio enſe, & mucrone extenſo ſtetit ante templum, prohibuitq; milites, ne ſacrilegium perpetrarent. Tu itaq; ò Rex omnium Religioſiſsime non diſsimili exemplo tanti Cæſaris atq; aui tui pietatem, ac Religionẽ ſequutus, ædes, Cœnobia, Monaſteria, Loca, diuini Cultus nimirum officinæ, ac pauperum quædam Cellaria, à Diuo Auguſtino Sanctæ Matris Eccleſiæ doctore præcipuo pie iuſtituta. Atq; à pientiſsimis, & Religioſiſsimis Regibus, qui præceſserunt, fundata, regalibuſq; munificentijs dotata, aucta, & ãpliata, Deoq; & ſanctis ſuis dicata, & conſecrata. Nunc verò prohdolor ab impijs, ſacrilegis, & hæreticis hominibus, vel diruta, vel excîſa, vel euerſa, vel combuſta, Et quæ vix pauca reſtarunt integra, rapta, atq; direpta, ſuis bonis, ac prouentibus compilata, priuata, & ſpoliata, Illorum ſacra vaſa, & ornamenta ſacerdotalia depredata, prophanata, ac proſtituta, ſuiſq; etiã legitimis poſſeſoribus, nempe ſancti Auguſtini frattibus, & Monachis, quorum precibus die noctuq; Altiſsimus precabatur, vt tua Maieſtas Catholica cum ſua prole Regia diu fœlix viueret, ac proſperis ſucceſsibus, victorijſq;

rijsq; contra Turchas regnaret, exhausta, deserta, & destituta, tuo monitu hodie, tuo iussu, tuo edicto Regio, ceu ense, & mucrone extenso, vt re ædificentur, reparentur, instaurentur, reformentur, confirmentur, & conseruentur. Nobisq; fratribus, veris sancti Augustini filijs, & hęredibus reddãtur, & restituant, curare nõ dedigneris. Quod cũ tua sacra Maiestas, pro sua in Deum, & sanctos eius pietate regia, vt speramus, effecerit, Regnumq; Dei & Iustitiam eius primum quesierit, Deum ipsum certe promerebitur, à quo reliqua omnia illi, & suis charissimis filijs, regnis, atq; prouincijs necessaria, cumulatissime adijcientur, qui etiam suo ipsius ore dixit quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum, Qui verò cõtemnunt me, erunt ignobiles. Nos autem Augustinenses omnes tuæ Regiæ Maiestatis fideles serui, in tot tantisq; regnis tuis, & prouincijs modò pusillus grex, ab ea nõ deficiemus vnquàm, sed confitebimur illi, Et in generatione, & generationẽ annũciabimus Laudem suam.

Dixi.



Mc